

uenit, propterea quod stelle fixe motum separatum habeat à motu totius, paricq; ratione reuersio solis ad Iouem vel Saturnum annus dici deberet. Ideo Hyparchus & Ptolemæus dixerūt annum esse redditū solis in aliquod punctum æquinoctij aut solsticij. Quātum itaq; temporis est ab ingressu solis in pūctum æquinoctij autumnalis, usq; proximum eius ingressum in idem punctum, tantam quātitatē annus habere dicitur. Verum propter instrumentorū, quibus tales ingressus deprehenduntur, fallaciā, uix potest uera anni quantitas inueniri, nisi per multorum annorum spacium. Quantoq; inter duas observationes maius temporis intercidat, tanto ueracius hanc anni quantitatem reperire poterimus. Hinc Hyparchus reperit annum 365. dierū, & quartę unius. Ptolemæus uero 365. dierum, & quartę unius minus, 300. parte diei. Hac uia procedēs sumit observationē Hyparchi, qua subtiliter, ut dicit, æquinoctiū autumnale cōsiderauit in anno tricesimo secundo revolutionis tertiae. Fuitq; à morte Alexandri anno 178. Aegyptio, & dicit eā fuisse die tertia ex quātitate super addita hora noctis media in Alexandria, cuius crastinū fuit dies quarta superadditarū. Sumit dein de cōsiderationem suā, qua anno 463. Aegyptio à morte Alexandri æquinoctium autumnale cōsiderauit. Dicitq; eā fuisse nona die mēsis Athyr, qui est tertius Aegyptiorum, post ortū solis ferè per unā horā. Interuallum autem inter ambas observationes fuit 285. anni Aegyptij 70. dies, & quarta & uicesima diei. Quia itaq; inter hoc interuallum fuerūt 285. reuersiones solis, et si annus cōstitisset ex 365. diebus, & quartę unius, oportuisset ipsum interuallum fuisse 285. anni Aegyptij 71. dies & quarta unius. Sed non fuit interuallum nisi

285. anni, 70. dies, 7. horæ, & quinta uenius, ergo minor quātitas anni est 365. diebus, & sex horis. Differentia uero inter hęc interualla est 23. horę, & qua tuor quintę unius, q; sunt 19. uicesimae unius diei. Proportio autē 19. ad 20. est uelut 285. annorū ad 300. annos, quare cōclusit Ptolemæus, quod in 300. annis solarib. deficiat unus dies à numero dierum quē facerēt 300. anni, si annus ex 365. diebus & quarta unius cōstaret. Ideoq; ueram anni quantitatē cōstare dicebat ex 365. diebus, & quarta unius, minus 300. parte diei. Hanc eandem quātitatē reperit uia simili per obseruationes plures. Deinde Albategni anno à morte Alexandri 1206. sci licet, post Ptolemæum annis 743. obseruans cōsiderationem suā cum Ptolemæi considerationibus comparādo reperit 106. annis unum diem deficere à numero dierum, quem 106. anni cōstītuunt, dum quilibet ex 365. diebus, & quarta unius, minus 106. parte diei, que est 13. minuta horę, & tres quintę unius minutū. Nam consideratio Albategni fuit post prædictā autumnalem annis 743. Aegyptijs 178. diebus cū medietate, & quarta diei, minus duabus quintis unius horę. Ptolemæus enim in Alexandria cōsiderauit, Albategni uero in Aracta quæ est orientalior in gradib. 10. Et æqualitas Albategni fuit ante solis ortū horis 4. & trib. quartis unius ferè respectu sui meridiani. Ptolemæi uero respectu meridiani Albategni fuit post ortū hora una & duabus tertījs unius. Sic ultra dies integrōs in interuallo fient horæ 15. & tres quintę unius ferè. Anni autem solares 743. unoquoque anno ex 365. diebus & quarta constante. Sunt 743. anni Aegyptij 185. dies 18. horæ, quæ exceedunt ipsum interuallum in 7. diebus, & 25. minutis horæ, quæ si diuisa fuerint

Annis Hyparchi
& Ptolemæi vj. rr
uersio Q ad idem
æquinoctium vt
solstitium. Hoc
tempus Hyparchi
minimis 365 $\frac{1}{4}$ vi
rrum. Ptolemæi
365 $\frac{1}{4}$ dierū, minimis
300 parte viij

Albategni ob
seruatio.